

Part
IXI



36d

37
Ba

George Frederic
de Boortel

+

27. 29.
DEO TER OPTIMO, TERq;
MAXIMO FAVENTE

Disputatio Juridica
De

PUBLICIS JU-
DICIIS,

Quam
Permissu Nobilissimi & Amplissimi Jctorum
ordinis in celeberrima Francofurtensi Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi

DN. JOACHIMI DECHERI

Phil. ac J. U. D. & Pandectarum P. P. Præceptoris atq; promotoris sui omni debitæ reverentiæ & observantiæ cultu ætatem prosequendi

publicè examini submittit

MICHAEL NICOLAI

Brandenb. March. A. & R.

ad diem 6. Maij Anno M. DC. LI

In Auditorio Jctorum,

Frankofurti

Typis NICOLAI KOCHII, Acad.
Typographi.

I. N. D. N. J. C. A.

Thesis I.

Publica Judicia sunt ea, quæ ex certa aliqua lege, (a) videlicet Julia, vel Cornelia, vel Fabia, vel Pompeja sunt constituta, (b) & quorum persecutio cuiusvis plerumq; è populo datur, (c) atq; à privatis judiciis differunt potissimum in instituendo sive ordinando & in prosequendo sive exercendo. (d)

(a) Dicuntur eadem & publicæ leges & quæstiones l. 1. §. 1. ad L. Cornel. de sicar. item judicia legitima & ordinaria, quæ legem, pœnam, & formulam certam habent, Cujac. d. observ. 33. quorum tredecim recenset Imperat. in §. 3. tit. instit. d. publ. judic. (b) Wesenb. ad pr. J. h. t. Etenim non omnia judicia, in quibus crimen vertitur, publica sunt, sed ea tantum, quæ ex judiciorum publicorum legibus promanant. Treutler. vol. 2. disp. 31. §. 1. lit. a adeòut sine tali lege propriè publicum judicium sit nullum Wesenb. in w. h. t. n. 2. Ratio autem, cur hæc delicta tantum sine facta publica, datur à Bacchovio in Comment. ad Instit. b. t. n. 1. & ad Treutl. dicta disp. ealis: quia per ista delicta Respublica magis videtur lædi dum ad status publici dissipationem vergunt. l. ff. de publ. judic. vult. inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. n. 5. proinde hæc judicia pro conservanda Reipubl. tranquillitate constituta sunt. Et licet privatorum criminum coercitio etiam faciat ad conservandam Reipublicæ tranquillitatem: tamen potius est, ut vigor disciplinæ publicæ circa delicta publica habeatur, & multò minus conservabitur Reipubl. si ea, quæ pro atrocibus habentur, non coercentur (c) quia plerumq; executio cuiusvis ex populo datur: dicta sunt publica quasi populi exceptis quibusdam casibus, in quibus accusatio certis personis datur, ut in crimine suppositi partus, ubi solis parentibus competit L. 30. ff. ad l. Corn.



de falsis. Sic etiam in crimine adulterii, *l. 30. C. de adult.* ubi præcipuum jus accusationis marito datur. (d) licet multiplex dari posset differentia judiciorum publicorum & privatorum, tamen in his duobus cum primis cernitur. Primò *in instituendo.* Publica coram ipso magistratu, merum imperium habente instituebantur *l. Solent. 6. pr. ff. de off. procons. l. 1. ff. de off. ejus cui mandat. est jurisdict. l. imperium 3. ff. de Jurisdic.* privata apud judicem pedaneum. Item in publicis necessaria est nominis delatio atq; inscriptio, seu subscriptio in crimen, in privatis non item *l. fin. ff. de priv. delict.* Secundò *in exercendo:* in publicis tormenta & quæstiones adhibentur *l. milites 8. C. de quæst.* in privatis non item *l. Divus 9. pr. de quæst.* publica citius, scilicet biennio, privata triennio sunt finienda *l. properandum 13. C. de judiciis.* Sed HODIE vetus isthæc ratio instituendi & exercendi judicia plurimum immutata est. Quandoquidem hodie non ita ut olim de jure civili per *l. 3. §. 2. ff. de accusat.* accusator se inscribere, & ad pœnam talionis & calumniæ sese obligare tenetur: Sed juxta *Constit. crim Carol. V.* præstat cautionem de refundendis expensis & resarciendâ injuriâ. *Zieritz in notis nomicopolit. ad dict. const. crim.* Hodie publica judicia ubicunq; Reus deprehenditur institui possunt, nec opus est adeò strictè observare locum delicti. *authent. quæ in provincia C. ubi de crimin. agi port.* Hodie præter accusationem index, etiam ad denunciationem alterius, vel ex officio, per inquisitionem de crimine cognoscit. Quinimò in notoriis delictis non expectato accusatore neglectoq; usitato ordine procedit. *Bosf. in tract. crim. tit. de accusat.* Et quandoq; contra juris civilis Romani tenorem admittere potest, ut accusatio & inquisitio cumulentur. Ideoq; si collusionis suspicio subest, potest alios testes producere, eosq; ad alios articulos à parte non subministratos examinare *Jul. Clar. lib. 5. §. fin. q. 3. n. 7.* Hodie in foro Saxonico solenne est, ut publica judicia ante meridiem sub dio peragantur *Wesensb. in w. b. t. n. 4. &c.* In quibusdam verò conveniunt judicia publica & privata: scilicet in utriusq; desideratur libellus, litis contestatio & probationes *Vultej. Inst. b. t. n. 14.*

Thesis II.

Eaq; sunt duplicis generis, vel Capitalia (a) vel non capitalia (b)

(a) Pri-

(a) Primi generis sunt, ex quibus poena irrogatur, vel mortis naturalis per summum supplicium. *l. 21. ff. de poen.* Vel poena mortis Civilis per deportationem, damnationem in metallum, aquæ & ignis interdictionem *l. 3. ff. ad L. Jul. pecul. §. 7. instit. de publ. judic.* (b) Secundi generis sunt, ex quibus aliqua corporis coercitio, relegatio, ictus fustium, aut infamia cum damno pecuniario infligitur. *§. 2. f. & l. 2. ff. b. t.*

Thesis III.

Inter varias publicorum Judiciorum Species ob gravitatem suam primum locum obtinet Crimen LESÆ MAJESTATIS de quo extat L. Julia Majestatis (a) quod proprè ii, qui contra Imperatorem vel Rempublicam aliquid moliti sunt, committunt (b) idem in Electores & summos Monarchas Consiliarios committi statuimus. [c]

(a) Majestas est vel Divina vel Humana; Divina nobis Christianis est unus DEUS, videlicet essentia unus, sed trinus, personis. Cui Soli debetur adoratio: *Matthæi c. 4. DEUM tuum adorabis & illi soli servies* & in decalogo præcipitur itidem, *unum DEUM esse honorandum, & adorandum.* Exinde sequitur, si solus DEUS trinus est adorandus, ob Majestatem sibi soli in eminentissimo divinitatis gradu competentem, quod contra B. Mariam aliosq; sanctos crimen lesæ Majestatis proprè non committatur. Uti quidem eò alludit pontifex Gregorius nonus in cap. statuimus 2. X. de maledic. Quatenus v. DEUS sanctos ex parte gloriæ suæ particeps facit, eatenus non directè sed consequenter per contumeliam sanctorum DEI Majestas offendi potest. Haud secus ac principis Majestas in consiliariis suis violatur. *Zierit. in Not. Nomicopolit. cap. 106.* Læditur autem Majestas divina per incantationes, Apostasiam, hæresin, id est, pertinacem in articulis fidei errorem, & eorum malitiosam impugnationem. *Wesenb. in parat. C. de Heretic. n. 2.* Poena hujus delicti est arbitraria *Reichs-Abscheid zu Augspurg de anno 1530. tit. von den Gotteslästerern P. S. D. art. 106.* Hinc interdū maledicentis lingua perforari solet *Dābond. in praxi crimc. 61. n. 9. & seqq.* (b) sed nos de crimine

mine Majestatis humanæ omnium quæ in homines committi possunt, gravissimo hîc cum primis agemus. Quod dividitur vel in perduellionem, vel in simplex læsæ Majestatis crimen. Perduellio est, si quis hostili animo (unde & Rei hujus criminis hostes dicuntur *l. 11. §. 3. de his qui notant infam. & perduelles à duello quos veteres pro bello usi l. fin. ff. ad L. Jul. Majest.* aliquid molitur, quod directo in ipsum statum, ad ejus labefactionem aut everisionem principaliter tendit: sive quod ipsam Rempubl. afficit, adeoque ex odio non tam principis, quàm principatûs aliquid machinatur. Simplex verò crimen Majestatis est, quo non summa reipubl. labefactatur, sed ejus pars duntaxat, nimirum persona principis, utpote si quis monetam licet probam justiq; valoris cuderit *Treutler. vol. 2. disp. 32. tb. 1. utriusq; pæna regulariter est capitalis, & ultimum supplicium gladio infert. Wesenb. in w. ff. h. t. n. 7.* quandoq; perduelles ignitis forcipibus lacerati dissecantur. *Carpz. in pract. Crim. part. 1. q. 41. n. 19.* puniturq; voluntas exteriori aliquo signo revelata, licet effectus non fuerit subsequutus *l. quisquis §. C. ad L. Jul. Majest.* Et licet in cæteris delictis interventu mortalitatis mors omnia solvat, tamen hic non tantùm vivi, verùm etiam mortui accusantur, memoriaq; eorum damnatur, & bona fisco applicantur. *§. per contrarium §. Inst. de hered. qua ab intest. deser. l. fin. ff. ad L. Jul. Majest. l. Majestatis cum seqq. C. eod.* Quin imò cum perduellionis crimen vastitiam Reipubl. inducat, illud etiam in liberos vindicatur, ut perpetuâ egestate sordere teneantur, & mors ipsis solatium, vita verò supplicium sit, uti Impp. Arcadius & Honor. *in d. l. §. C. ad L. Jul. Majest* rescribunt. (c) Non primariò, sed secundariò, quia partes sunt corporis ipsius Imperatoris *l. 8. in fin. C. de LL. & dictal. §. C. ad L. Jul. Majest. in Aurea Bulla Caroli IV. part. 24. Heig. ad §. 3. n. 13.*

Thesis IV.

Secundum judicii publici crimen est concubitus Illicitus, unde extat L Julia de Adulteriis coercendis. Quo pertinet Primò *Adulterium*, quod est thori conjugalis conspurcatio, (a) & committitur

titur

titur, quando rem illicitam habent conjugatus cum conjugata, (b) Quod respectivè gladio & fustigatione (c) solutus cum conjugata, (d) quod itidem respectivè gladio aut fustigatione: (e) & conjugatus cum soluta; (f) quod respectu mariti fustigatione cum perpetua relegatione; respectu feminae verò solutæ arbitrariè punitur (g)

(a) Dicitur ita est propter partum ex altero conceptum, quasi adulterium sit conceptio partus ex altero *Wesemb. in w. b. t. n. 3. vult. in Jnr. Roman. d. loc.* qua de re imperat. hic adulteros vocat alienarum nuptiarum temeratores *d. §. 4. Inst. de publ. Judic. Wesemb. in w. b. tit. n. 19. §. n. 4.* thori autem violatio rectè dicitur *p. l. inter liberos §. 1. l. stuprum §. 1. ff. ad L. Jul. de adult. l. inter stuprum 101. ff. de V. S. C. non mæchaberis 32. qvæst. §. vult. in J. b. t. n. 5.* (b) Et tunc vocatur adulterium duplex. Germanicè die *Oberhüreren* seu *Wberhüreren*. *Joach. à Beust. de jur. connub. p. 2. cap. 17.* sed si conjugatus prolabatur ad alterius Sponsam, quæstionis est, an etiam adulterium committatur cum Sponsa alterius? Quod à veritate non alienum arbitramur, propter *tex. l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult. l. 7. C. eod.* nam & Sponsa pro uxore habetur, *l. 47 ff. de jure dot. l. 71. §. 3. ff. de condit. & demonstrat. l. 4 ff. de fundo dot. l. 15. §. 24. ff. de injur. l. 5. C. de bon. qua liber.* & de jure divino, Sponsam non tantum committere adulterium, sed etiam puniri ut adulteram, constat ex *Genes, 38. v. 24. & 25. Exod. 22. v. 26. Deut. 22. v. 23.* (c) pæna adulterii duplicis in adultero & adultera est diversa. Etenim adulter gladio; sed adultera virgis cæsa & tonsa in monasterium detrudenda est. *Auth. sed hodie C. ad L. Jul. de adulter.* Eaq; diversitas pænarum in Viris & uxoribus adulteris in plerisq; imperii Romani locis adhuc hodiè obtinet per *text. in art. 120. ordin. criminal.* nisi quod in terris protestantium, ubi usus monasteriorum maxima ex parte esse desiit, feminae virgis cædantur & in perpetuum relegentur. Quæ verò sit causa, quam ob rem Justinianus adulteram mitiùs quam adulterum puniri voluit, & cur Imperat. Carol.

Carol. V. eam constitutionem renovaverit & confirmaverit in
sanctionibus criminalibus; non satis liquet & juris nostri interpre-
tes illud potius divinare & hariolari, quàm determinare vide-
mus. Nostrum cum sit, non contra sanctiones & constitutio-
nes principum publicè disputare, sed leges observare, & secun-
dum eas in respondendo de jure pronunciare Imp. Augustissimi-
mos haud redarguamus. Neq; verò improbamus, sed juri divino,
sanctitati matrimonii, honestati et gravitati Germanorum per
benè congruere putamus peculiaria quorundam locorum statu-
ta, quibus adulteræ pariter atq; adultero pæna capitalis infligi-
tur. (d) quando Vir solutus cum uxore matrimonio juncta con-
cumbit adulterium simplex dicitur, Germanicè einfacher Eh-
bruch. Idq; propterea, quia mulier ista admittendo alium vi-
rum solutum non alterius thorum inquinat, sed vinculum sui
tantum thori, atq; fidei conjugialis violat, & suo tantum ma-
rito in cujus familiam partum spurium inseri sinit, infert inju-
riam, nullâ verò venere furtivâ cum alterius conjugis marito
fruitur. Atq; hoc nomine respectu uxoris adulteræ dici com-
mitti adulterium simplex. *per l. 13. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* Re-
spectu verò viri soluti, licet is thorum, quem violet, nō habeat, di-
citur adulterium simplex, quia mulieris patientis thorum tantum
conspurcat. (e) pæna hujus adulterii simplicis tam in viro soluto
quàm in persona mulieris patiente perinde atq; in duplici adul-
terio est eadem, scilicet in muliere, Fustigatio cum relegatione
per dictam auth. in Viro soluto, pæna gladii. Stephan ad art. 120.
ordin. crim. Carol. num. 5. Ratio respectu mulieris patientis est;
qui illa pænam incurrit solum, propter violationem sui thori ac
injuriam conjugis illatam quæ duo æquè in simplici atq; duplici
adulterio perpetrantur. Ratio respectu Viri soluti est: quia
is perinde stirpem spuriam in alienam familiam prapagat, ac si
conjugatus fuisset. Atq; conjugatus adulter ob hanc causam sc.
ob insititium partum in alienam familiam gladio plectitur
l. inter liberos 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult. Novell. 134. cap. 10. Er-
go idem obtinet in viro soluto ad alterius uxorem accedente (f)
Hoc casu, quo maritus cum foemina solutâ rem habet, non tan-
tum stuprum sed adulterium perpetrari statuimus ob rationes
solidas

solidas; quas protulit *Carpzov. in pract. crimin. pars. 2. q. 52. n. 50.*
51, 52. & *seqq.* (g) poena ejusmodi mariti cum foemina soluta, si-
ve ea virgo, vidua, vel scortum sit concumbente solet esse fusti-
gatio cum perpetua relegatione: sed mulier soluta vel relegati-
one temporali, vel carcere punitur. *Carpz, p. 2. q. 53. num. 53.*
& 64.

Thesis V.

Deinde huc refertur *Sodomis*, (a) quæ vivi
comburio: (b) incestus (c) quæ diversimode: (d)
Lenocinium (e) quod ultimo supplicio (f) stu-
prum (g) quod quoq; capitaliter, quandoq; arbi-
trariè punitur, (h)

(a & b) Præpostera Venus & Sodomitica libido ex Lege Mo-
sis *Exod. 18. vers. 9. Levit. 18. vers. 22. & c. 20. vers. 13.* de jure civili
Justiniano *l. cum Vir nubis 31. C. ad L. Jul. de adult. & ex constit.*
crimin. Carolin. art. 116. ignis supplicio afficitur. Et quia deli-
ctum est atrocissimum conatus actui proximus, ita ut rem perfe-
cisset, nisi aliquod impedimentum intercessisset, utut ejaculatio
seminis non fuerit subsecuta, non immeritò gladio puniri po-
test, per text. *Lev. 18. v. 23. non dabis coitum tuum in omni pecore*
ad contaminandum cum eo. Ubi non additur Vox וְיָדָה ad semen,
quæ tamen habetur in vers. 20. ejusdem capituli: Ergo prohibitio divi-
na non simpliciter ad ejaculationem seminis restringenda, sed in genere
de coitu cum bestia intelligenda est. Damhouder. in prax. rer. Cri-
min. cap. 96. num. 16. Quem in pronunciando Amplis. Facultas
juridica hoc loco ante biennium in casu tali secuta est. Licet dis-
sent. prosp. *Farinac. q. 148. n. 64. Menoch. de A. J. Q. lib. 2. cas. 286.*
num. 28. aliq; Dd. Itali (c) Incestus est stuprum cum tali persona,
quæ in matrimonio haberi nequit, commissum. S. ergo non o-
mnes *Instit. de nuptiis l. sororis 39. §. 2. l. jure gentium fin. ff. de R. N.*
(d) de incestus poena *Dd.* non conveniunt. *Carpz in pract. crim.*
pars. 2. qv. 73. num. 3. Neq; semper uniformis est; sed prout gra-
viter gravius & gravissimè peccant concumbentes in gradibus
proximioribus sibi conjuncti, ita fustigatione, perpetuâ, aut tem-
porali relegatione puniuntur. (e) Lenocinium gravius reputa-

tur adulterio. Quia adulter solū in se ipsum: sed leno in se
& in alium peccat *juxta gloss. in l. Athletas §. Pomponius in verb.
eum qui servitute ff. de his qui notantur infam.* Et ex mente Imper.
Justiniani Lenocinium furto & latrocinio multò gravius est, in
Novell. 14. (f) Ergo etiam non punitur mitiùs adulterio, sed ju-
stissimè ex jure civili ultimum supplicium infert *l. quamvis 30. §.
fin. C. eod. L. Jul. de adult. Nov. 14. §. 1. Ordinat. Criminal. Carol.
art. 122. (g)* stuprum dicitur quasi turpis stupor ex eo, quòd qui in
Venerem cum honestis personis ruunt, non absimiles sint brutis
& committitur, quando quis cum virgine aut vidua honestè vi-
vente consvescit. *§. 4. Inst. h. t. l. inter. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult.
Estq; vel VIOLENTUM, quod citra voluntatē per vim honestæ
fœminæ vel opprimendo vel abducendo (quod propriè RAPTUS
dicitur) infertur l. 29. §. fin. l. Vim passam 39. pr. ff. ad L. Jul. de Ad-
ult. t. t. C. de Raptu Virg. & Viduar. Vel VOLUNTARIUM,
quod consentiente & non magnopere reluctante Virgine vel Vi-
dua committitur. d. §. 4. Inst. de publ. jud. Atq; ab hoc non mul-
tū differt FORNICATIO, quo Vir solutus non cum ho-
nesta virgine & vidua, sed meretrice consvescit. (h) pœna stupri
violenti est ultimum supplicium *l. in eadem 3. §. 4. ff. de Vi publ. or-
din. Criminal. Carol. art. 119.* sed vi compressa Virgo nihilominus
habitu virginali incedere & caput sero redimere potest, perin-
de ac si deflorata non esset, *Matth. Steph. ad art. 119. Ordin. Cri-
min. Carol.* Stuprum verò Voluntarium quoad stupratorem pu-
nitur hoc modo: ut primò cogatur stupratam Virginem aut
dotare aut ducere. *Carpz. in Jurisprud. Ecclesiast. lib. 2. tit. 14.
d. 229.* secundo infanti de alimentis prospicere. *Joach. à Beust.
in tract. Connub. part. 1. cap. 29. vers. si tamen Casus.* Quod si verò
stuprator defunctus, vel in fuga fuerit, & mater aut avia eum ale-
re nequeat, tum infans alimentandus est in subsidium à magi-
stratu *Carpz. Jurisprud. Eccles. l. 2. t. 11. def. 196. & tit. 14. def. 242.*
Tertiò Magistratui obligatus est ad pœnam arbitrariam, scilicet
pecuniariam, aut Carceris; in quo tamen non diutius, quàm per
quatuordecim dies detineri solet. *Carpz. pract. Crim. p. 2. q. 69.
n. 15.* Quod spectat Mulierem stupratam, ea, si matrimonium
fuerit subsecutum, in quibusdam locis pœnitentiam Ecclesiasti-
cam agere & scandalum deprecari tenetur. Alibi punitur ad
octiduū carcere. Idq; in favorem matrimonii. Si verò stuprator
eam*

eam nō duxerit, sed tantūm dotaverit ad 14. dies punitur carcere, *Carpz. in pract. crim. p. 2. qv. 69. num. 55.* Deniq; Fornicationi à Legibus civilibus certa pœna non est constituta *l. si uxor 13. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult.* sed tamen in his & vicinis locis meretur carcere, & ob reiteratas scortationes quoque relegatione temporali puniri solet. Fornicator verò multatā pecuniariā afficitur, aut si non habet in ære luit in corpore & per aliquot dies detinetur in carcere *Scheplitz in Consuet. March. p. 1. tit. 2. §. 6. Consistorial. Ordnung tit. 62. in fin.* Es soll der Geselle nichts desto weniger den Gerichts-Herren / was er der Person / (sc. quæ illum pellexit, & ad illicitum concubitum se obtulit ultrò) zu Ehegelder hätte entrichten müssen / zur Straffe geben.

Thesis VI.

Tertia *Judicii publici* species est **HOMICIDIUM**, unde extat *Lex Cornelia de sicariis* (a) scilicet, quando quis dolosè & malo animi proposito aliquem occidit; (b) aut mandavit occidere (c) aut alium pro alio interficit (d) Ubi pœna ordinaria est decollatio: (e) interdum gravior; (f) interdum arbitraria: (g) interdum nulla. (h)

(a) A *Lege Cornelia* *Sylla* nomen accepit, sicarii dicuntur, à *sica* quasi *seca* à *secando*, quòd *culter ferreus* notatur sive major sive minor sit *Vult. ad §. 5. instit. de publ. Jud.* (b) solus dolus facit, ut pœnæ legis *Corneliae* locus detur *l. 1. §. 3. l. 7. l. 14. l. 16. ff. ad L. Corn. de sicar. l. 1. & seq. C. eod. Wcsenbec. d. Loc. n. 6.* quocunq; modo & instrumento, sc. *gladio telo, fuste, inediâ, veneno, susurris magicis, poculo amatorio &c.* doloso, occidendi animo fiat *exanimatio l. 1. & 3. ubi Gothofredus ad L. Corn. de sicar. L. necare de liberis agnosc. & alend. §. 5. Inst. d. publ. Jud. Exod. 21. v. 12. Genes. 9. v. 6. Levit. 24. v. 16. num. 25. v. 16.* hoc homicidium propriè vocatur *voluntarium l. 1. §. 3. ff. b. t.* quâdo voluntas consideratur relativè cum exitu perfecto & cōsummato, veluti, qui sciens, dolo malo, fervore tyrannico, & proposito præmeditatè, deliberatè & sine sufficienti causa hominem occidit *Consult. Dn. Parens Carolus Nicolai in tractatu suo ad L. C. de sicariis cap. 8.* (c) Mandator enim cædis



pro homicida habetur, l. 15. ff. ad L. Cornel. de sicariis l. non solus
 ii. §. si mandato ff. de injuriis l. si quis 7. §. hoc verò 5. ff. de jurisdic. l.
 liber homo 37. pr. ff. ad L. Aquil. quia damnum, quod quis dare jus-
 sit, ipse dedisse videtur l. 15. §. l. 169. de R. J. C. qui facit 72. de R.
 I. in sexto. Nisi liquido constet, quod mandatarius, etiamsi man-
 datum non intervenisset, nihilominus homicidium perpetrasset,
 tunc mandans mitius punitur. Carpz. p. 1. q. 4. num. 29. & seqq.
 (d) quamvis enim error in persona intervenerit, & quod ad perso-
 nam occisam animus occidendi argui in homicida non possit,
 adfuit tamen dolus & animus occidendi in genere, quem cum
 ipsum factum sive homicidium insecutum fuerit, utiq; Ordina-
 riæ Legis Corneliæ poenæ locus erit l. 45. §. 4. ff. (e) poena homi-
 cidii tam de jure divino, quam humano absq; respectu persona-
 rum capitalis est. Gen. 9. v. 6. Exod. 21. vers. 12. Levit. 19. vers. 15.
 Matth. 26. v. 52. ordinat. Criminal. Carol. V. art. 137. l. qui cadem ff.
 ad L. Cornel. de Sicar. (f) puta si commissum sit homicidium à
 Latronibus, in Legatos aliasq; personas eminentes, in Magistra-
 tus, infantes &c. si homicidia plura perpetrata; si atrocitate &
 crudelitate nimia; tunc enim augmentum aliquod poenæ ad-
 detur, ut rotæ tundantur aut ignitis forcipibus aliquoties ustu-
 lentur Const. Carol. V. art. 138. 193. & seqq. (g) si homicidium in
 tumultu à pluribus commissum sit, neq; indicia ad torturam suf-
 ficientia adsint Const. Carol. art. 148. (h) ut si homicidium pror-
 sus involuntarium fuerit commissum, à furioso, cujus nulla est
 voluntas l. 40. ff. d. R. J. aut qui casu aliquem occiderit, vocatur
 homicidium casuale.

Thesis VII.

Quarta criminis publici species est PARRI-
 DIUM, de quo extat Lex Pompeja de parricid.
 (a) Quod in patrem & Matrem cæterosq; ascenden-
 tes, pariter & Liberos reliquosq; descendentes
 committitur, (b) & punitur pro cujusq; loci con-
 suetudine vel suffocatione & projectione in aquam;
 vel gladio, vel rotâ, vel ignitis forcipibus (c) eoq;
 tenetur

tenetur non tantum qui quæve commisit, sed &
qui conatus est. (d)

(a) Autor Legis Cajus Sextus Pompejus est, parricidium generalissimè de quovis homicidio dicitur (b) propriè committitur inter Parentes & Liberos. Minus propriè inter Collaterales & affines, puta fratres, sorores, patruales, consobrinos. l. 1. 3. & 4. ff. ad C. Pompej. de parricid. l. unic. C. de his qui parent. vel liber occid. § 6. Instit. h. t. Qui Paragraphus ad socerum vel vitricum non est extendendus per rationes quas affert. Consult. Dn. Parens Carolus Nicolai ad L. Cornel. de sicariis cap. 6. (c) olim parricida virgis usq; ad sanguinem cæsus, cum simia, vipera, Cane, Gallo, Culeo insutus in mare seu flumen projiciebatur, aut si aqua ibi non erat, bestiis objiciebatur. l. pen. ff. ad L. Pomp. de parricid. l. unic. C. de his qui parent. vel liber occid. §. alia 6. Inst. de publ. Jud. Cujus pœnæ rationes reddit Cicero pro Roscio. Sed hæc pœna hodie in desuetudinem abiit ex Constit. Criminali Carol. V. art. 131 Damboud in prax. rer crim. cogn. n. 3. (d) puta si emerit venenum, ut patri daret, quamvis non potuerit dare. l. 1. in fin. ff. h. t. Quinimo & Pharmacopola, Medicus, Chirurgus aut alius filio sciens volensq; & dolosè venenum suppeditans pari pœna coercendus l. 3. §. 1. ff. ad L. Cornel. de sicariis & punitur in hoc crimine affecto, licet non secutus sit effectus: nam jura valde detestantur illos, qui veneno & proditoriè homines occidunt: Proditores a, eos statuunt esse, qui clam & occultè & sub fide aliqua & securitate personas sanguine & affinitate conjunctas, quales sunt pater, filius, maritus, uxor, veneno enecare conantur, ubi exemplo opus est ad terrorem aliorum Barthol. Romul. in Compend. homicid. part. 2. pag. 290. puta si filius patri venenum propinat, quod postquam bibit, ob supervenientia remedia non nocuit: Item si alio modo vitæ patris insidiatus fuerit, vulnusve illi inflixerit. Quo casu pœna legis Pompejæ de parricidis meritò locum sibi vendicat & cum lex divina velit eum, qui percussit patrem vel matrem præcisè mori h. e. omninò & sine misericordia occidi, non addito utrum percussus sit inde mortuus vel non Exod. 21. quæ, cum adhuc sit moralis concernens & præcipiens honorem Parentum, quis stare eam prohibeat? imo si filius, qui patri matrive maledi-

xit, vel plagas intulit mortem emeritus est: *Exod. d. cap. multò fortius id dicendum est ob vulnera illata aut præbita venena. Consult. Dn. Parens in tract. ad L. C. de sicar. cap. 6.*

Thesis VIII.

Porro ad judicia publica refertur crimen FALSUM (a) quod variè committitur, vel consensu (b) vel dictis (c) vel scriptis (d) vel abusu (e) vel facto (f) & varietiam punitur. (g)

(a) Falsum est mutatio veritatis dolosa & prohibita *l. 1. l. 23, l. 16. §. 1. & 2 ff. ad L. Cornel. de fals. Nov. 73. §. 1. l. 15. §. 32. l. 20. ff. de Injur.* (b) Exemplum in *l. 21. ff. de L. Cornel. de fals.* quoties aliquem circumvenimus & fallimus per contractus aut compacta. Unà re bis venditâ, iisq; diversis, aut re vel fundo vendito uni & eodem rursus alteri in solutionem dato sive hypothecato *l. 3. §. 1. ff. de crimine Stellion. l. 36. §. 1 ff. de pign. act. Damhoud. in praxi Criminal. c. 122. n. 1.* (c) vel falsum testimonium dicendo aut veritatem reticendo, quò & illi referendi, qui ut testimonium ferant, aut non ferant, pecuniam acceperunt *l. 1. §. 1 & 2. ff. ad L. Corn. de fals.* (d) falso instrumento confecto *l. 2. l. 23. ff. b. t.* (e) signis illicitis insignibus utatur, nobilis sive Doctoris titulum sibi arrogando, *l. 27. fin. ff. d. tit.* (f) ut si quis falsam cudat monetam *l. 19. ff. d. t.* aut falsis utatur mensuris *l. 32. ff. eod.* (g) poena hujus criminis olim in libero homine erat deportatio, & omnium bonorum publicatio, in servis verò ultimum supplicium *§. 7. Inst. de publ. Ind.* sed hodie est arbitraria *Wesemb. in w. ff. ad L. Corn. de fals. Carpz. in pract. crimin. part. 2. qv. 93.*

Thesis IX.

Sextò judiciis publicis annumeratur Lex Judicia de vi publica & privata, quarum illa cum armis committitur (a) Hæc sine armis (b) Utriusq; poena hodie est arbitraria. (c)

(a) *L. Jul. 8. Inst. de publ. Jud.* (b) *l. sed hoc jure ff. de regul. jur.* (c) Hodiè Judex ob commissam vim publicam seu privatam, quæ neq; in crimen fractæ pacis publicæ neq; in aliud delictum publicum, pro quo certum genus supplicii definitum est, incidit, poenam

nam arbitrariam relegationis, carceris, fustigationis, amputationis manûs, vel etiam pecuniariam mulctam infligere possunt, pro ratione vis commissæ & conditione personarum *Carpz. p. 1. q. 40. n. 7.*

Thesis X.

Septimò Crimen Peculatus, quod est furtum pecuniæ publicæ (a) vel Sacræ (b) & pro varietate rei, circa quam commissum est, variè punitur (c)

(a) Qui pecuniam publicam auferunt *l. 4. §. ult. ff. ad L. Jul. peculat.* (b) tametsi rei sacræ furtum peculiare nomen sacrilegii accepit *l. 9. §. 1. ff. h. t.* Nam sicuti fraudulenta interversio rei privatæ furtum dicitur *§. 1. & 2. Instit. de obligat. quæ ex delictis nascuntur.* ita & in re sacra, divina publica dicitur Sacrilegium vel peculatus *§. 9. Inst. de publ. Jud. Vultej. J. R. c. 46.* (c) si enim rei fscalis seu publicæ furtum commissum est, delinquentes deportatione per *l. peculatus 3. ff. ad L. Jul. pecul.* si sacrilegium pœna capitali afficiuntur, & vel vivi exuruntur vel furcis suspenduntur, *Ordin. Crim. Carol. art. 171. & 172.*

Thesis IX.

Octavò Plagium est dolosa hominis liberi vel servi alieni suppressio.

Dicitur Plagium non à plagâ ut vulgò creditum est, sed à πὸ τῆς πλαγίας, id est, ab obliquo: quia obliquis quibusdam actibus, & dolis servi aut liberi abducebantur; Unde Græci πλαγίως quandoq; simpliciter pro dolosè accipiunt *Mynsing. h. t. n. 3.* Plagii pœna ex *l. divina capitalis Exod. 21. vers. 27. Deutr. 24. vers. 17. de jure civili pecuniaria erat l. pen. §. 2. l. fin. ff. de L. Fab. de plagiar.* sed hodie ex Lege Constantini est gladii *l. fin. C. ad L. Fab. de plagiar.* Quod etiamnum hodiè in foro Saxonico obtinet. *Carpz. part. 2. qv. 83. num 90.*

Thesis XII.

Hactenus de judiciis publicis, quæ promerentur pœnam graviolem, supersunt jam ea, quæ per

per se non capitalia, & non ita graviter puniuntur.
Videlicet Lex Julia de Ambitu, (a) Lex Julia re-
petundarum, (b) Lex Julia de Annona, (c) & Lex
Julia de Residuis. (d)

(a) Ambitus est delictum, quo quis pecuniâ vel aliis illicitis
artibus aliorum suffragia comparando ad dignitatem, honorem
vel magistratum adspirat *l. un. b. t.* hujus poena est deportatio,
interdum multa 100. aureorum cum nominis infamia est con-
stituta *l. unic. ff. ad L. Jul. de ambitu l. unic. C. eod.* cum hac le-
ge cognationem habet Simonia, quæ est sacrorum sive divinorum
munerum nundinatio; poena varia est, honoris, sacerdotiis pri-
vatio, excommunicatio (b) quâ tenentur omnes, qui pecuniam vel
munera in magistratu acceperunt, ut vel malè judicarent, aut
quod gratis oportebat, facerent *L. 3. & 4. ff. ad L. Jul. repetun-
darum.* Poena hujus criminis fuit plerumq; exilii, interdum ve-
rò durior prout delicti qualitas exegit. *l. 7. §. fin. ff. b. t. Mysf.
§. ult. n. 4. b. t.* Hodie est quadrupli *d. l. 10. C. eod.* (c) quâ tenen-
tur, qui annonam publicam fraudant & divexant, ejusq; em-
ptionem aut venditionem reddant cariorem. Unde Communi-
ter Dardanarii à Dardano annonæ quodam flagellatore vocan-
tur *l. annonam. 6. ff. de extraord. crimin. l. 37. ff. de pœn.* poena hu-
jus Criminis extraordinaria est, & negotiantibus quidem ne-
gociatione interdicitur, interdum pro qualitate delicti admissi
relegantur humiliores ad opus publicum datur *Vult. inst. b. t. n.
11. & 12.* (d) Crimen residuorum est pecuniæ publicæ alicui ad
certum usum datæ lucrandi animo retentio, vel in suos usus
conversio. *l. 2. & 4. §. 4. ff. ad L. Jul. pecul. de Resid.* cujus poena
restitutio simpli & tertiar partis ejus quod recepit

l. 2. l. 4. §. 4. d. t.

SOLI DEO GLORIA,

00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244




R

Worm







MO, TER^q
NTE

29

uridica

IS JU-
IS,

plissimi Jctorum
rtensi Academiâ

DIO

tg, Excellentissimi

DECHERI

um P. P. Præcepto-
debitæ reverentiæ
m prosequendi

Submittit

ICOLAI

A. & R.

M. DC. LI

orum,

CHII, Acad.
i.